



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus VI. De Conventionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

NOTA 2. Sepulcra pluribus modis violantur, magis vel minus, gravius aut levius, secundum diversitatem intentionis, & actionis malefactorum. Fieri enim potest, ut totum dissipetur, fieri etiam, ut pars sepulcri tantum, in quo iterum magna varietas: quemadmodum legere potes apud Decianum l. 40. c. 42. Nostro instituto brevis commoda est. Ad Q. ig.

R. Iure Canonico non videtur alia, & gravior pœna violatoribus sepulchrorum constituta, quam quod gesta irritantur, iuxta intellectum. c. Fraternalitatem, & c. cum liberum de sepult. Ita Farinc. l. 1. de deli. & pœn. c. 20. Concl. 5. Extraordinariæ igitur pœnæ locus erit, & arbitrio boni Iudicis, quemadmodum Menochius dicit l. 2. de arbitrar. Casu 387. n. 1. Iure Civili autem plures pœnæ decernuntur. Nam qui violaturus sepulcrum attigerit tantum, 20. libris auri mulatur: qua pœna etiam Iudices puniendi, si id vindicare neglexerint. l. si quis sepulcrum. C. eod. Si tamen præter tactum non sit alius effectus, aut iniuria, Accursus in V. Violatores excusari putat à prædicta pœna. Porro auri libram 72. aurei faciunt l. Quotiesc. C. de suscept. præpos. & arcariis. Argenti verò quinque

solidi sive aurei. l. 1. C. de argenti pretio & c. 2. Qui corpora sepulta aut reliquias contrectarint, decem libras argenti coguntur filco inferte l. Qui sepulcra ci. fin. C. eod. Qui verò extraxit, armata manu vel ossa eruit, si humilioris conditionis est, extremo supplicio afficietur; si verò honestioris, in insulam deportabitur, vel damnabitur in metallum. l. fin ff eod. Farinac. l. 1. de deli. & pœn. c. 20. Menoch. Casu 387. Decianus l. 6. c. 42. & 43. Silv. V. Sepultura n. 13. Damh. c. 109. Iul. Clarus l. 5. §. fin. Q. 59 num 45. addens hoc crimen propter multa cœca etia constructa apud ecclesiam in desuetudinem abiisse, ut modò Rubrica hæc partum in usu sit vidisse tamen se ingentem processum Cremonæ factum super hoc crimine, & fuisse quendam Galcacium condemnatum in uno idu tunis, & aureis decem: pro qua tamen condemnatione obtinuit gratiam. 3. qui epitaphia, tabulas, imagines, aut columnas frangit vel aufert, præter compensationem damni, eadem pecuniaria pœna 10 librarum auri mulatur. V. Berlichium Par. 5. Concl. 47. n. 41. & 42. Tholos. l. 33. c. 23. Vallensem l. 3. n. 28. §. 29.

TITULUS VI.

De Conventionibus.

DVæ nos causæ in huius materiæ pertractationem impellunt. Prima est, quia commercia rerum, quibus in vita civili nihil frequentius, & utilius, pactis, conventionibusque

absoluuntur: illa tem faciunt, & perdunt, possessiones mutant, dominia transferunt, lites & iudicia fovent, laicis, & ecclesiasticis, qui etiam ipsi cives, communia sunt.

Secunda

præstito saltem ab una parte, quod oportet. 2. verbis, ut in stipulatione 3. literis, ut si tibi satisfactum esse scripto testetur, quemadmodum in acceptilatione fit. 4. specifico nomine Contractus. Hinc omnes contractus nominati, qui consensu perficiuntur, vestiti sunt. 5. Cohærentia cum Contractu vestito. Vendis mihi agrum 100. flor. cum pacto, ut huius anni cultum, & fructum habeam, pactum hoc nudum est; sed vestitum censetur, quia adhæret emptioni, quæ est Contractus vestitus, quia Accessorium sequitur naturam principalis. Reg. 42. *in 6.* Denique 6. vestitur iuramento. Per hoc enim vires accipit, & roboratur pactum nudum, sicut alia actiones quoque *Angel. n. 3. Silv. §. 4. nu. 21. Mol Disp. 255. Lorichius V. Pactum. n. 3. Less. c. 17. D. 3. nu. 18. Laym. l. 3. Tr. 4. c. 2. Lugo Disp. 22. S. 2. num. 13. Tuschus Conclus. 29.*

IV. Ex pacto vestito obligationem & actionem nasci dubium non est. *l. iuris gent. §. tom. 11. ff. de præscriptis verbis.* Ex nudo licet obligatio naturalis oriatur, actio tamen non datur iure civili *di. l. §. 4.* Nimirum lites odit Ius Civile, quas pactorum frequentia necessario progenerat: & merito præsumitur, tot promissiones animi levitate quadam, & inconsideratione perfici, ad quarum observationem cogere durum videtur. *Vvesenb. l. 2. ff. de iur. 14. num. 9. Treutl. l. cit. nu. 9. Fern. Vasq. controu. illustr. c. 10.* Vniuscuiusque honestati igitur relinquitur, ut nisi malè audire velit, promissiones suas adimpleat. Promissarii autem dent operam, ut promissis sibi factis robor accedat, vestiendo illa uno aliquo sex modo

rum, quos *n. præc.* enumeravimus.

NOTA. Etiam Iure Civili Actionem nasci ex pacto nudo, cum id illi specialiter à legibus tribuitur. Exemplum habes in donatione, quæ à promissione acceptata incipit nondum facta traditione. Huius obligatio & ad hæredes transferit. *l. Si quis argentum. §. ult. C. de donationib.* Idem valet in nudo pacto dotis promissæ 1. ad exactionem *C. de dotis promissæ. VVadingus disp. 1 §. 3.* Idem in promissione, qua quis promittit, alicui se soluturum, quod alius ipsi debet. *Mol. D. 255. ci. fin. Onnate disp. 2 nu. 148. Phil. Decius in ff. de iuris d. om. Iud. l. Si convenit.*

V. At quæstio non levis est, utrum secundum Canones ex nudo pacto obligatio & actio nascatur? Dissentiant Interpretes apud *Fachin. l. 2. c. 100.* Vera opinio est, ex pacto nudo, quod cum expressione causæ inquitur, oriri. Nam quæ de labiis suis procedunt, nemo irrita facere debet *ps. 88. V. 35. Et c. 1. de pactis,* uti in *Conc. Africus Antigonus Episcopus* dixit. Aut irrita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus ecclesiasticam sentiat disciplinam. Dixerunt universi (Patres congregati) *Pax servetur, pacta custodiantur.* Vbi *Barb. catervam DD.* annumerat, & notat, etiam Iure civili pactum nudum producere actionem in foro mercatorum: idemque facere, si geminatum sit. *Covar. in c. cum in officio num. 9. de testament. & in c. Quamvis pactum par. 2. §. 4. Gomez. tom. 11. cap. 9. num. 2. Maranta Par. 4. tit. de iuramento. Rebellus de oblig. iustitia Par. 2. l. 10. p. 1. Laz. l. 11. c. 7. Q. 1 Barb. in Præmissis*

permisissis ut. de Pactis. Laym. l. 3. Tr. 4. c. 2. num. 3. ubi excipit promissiones Ecclesie factas, in quibus non sit opus causam exprimere.

VI. Cæterùm obligatio (ut in futurum hoc semel statuarur) est Iuris vinculum, quo necessitate astringimur alicuius rei soluendæ, vel faciendæ. *Instit. de obligat. instit.* Per ly necessitate astringimur differt ab obligatione, quam fidelitas, gratitudo, vel alia Virtus à Iustitia distincta parit. Alia est naturalis, alia civilis, alia mixta seu naturalis & civilis simul. Naturalis ex rei natura, Civilis ex legibus oritur. Mixta utrimque. Causa, & materia est vel Contractus, vel delictum, aut quasi. Pro effectu obligatio civilis actionem habet, id est, potestatem ius suum prosequendi quia duplex Realis personalis. Naturalis sola, nisi Iuris civilis accedat auctoritas, in foro externo non actionem, sed exceptionem parit. *l. Iuris gent. §. sed cum nulla ff. de pactis.* Quæ exceptio sufficit ad novandum *l. 1. ci. fin. ff. de novat. ad constituendum l. 1. §. Debitum ff. de constit. pec. ad compensandum. l. 1. §. ff. de compensat.* Præterea ut accedat fideiussor. *l. stipulatus sum cum l. seq. de fideiuss.* Item, ut accipiatur pignus. *l. Naturaliter. ff. de cond. indebit. Lex! Prætesii. Tholosan. l. 21. Syntag. c. 3. num. 4. Laym. l. 3. Tr. 4. c. 9. num. 9. Ang. V. Obligatio Silvest. Armilla. eod. Fill. Tract. 33. c. 5. n. 82. Regin. l. 25. c. 4.*

VII. Omnis pactio & conventio de re spirituali, irrita & nullius momenti est. *c. Pactiones 8. hoc tit.* ubi pactio de tertia tantum parte decimarum præstanda irrita declaratur, nisi probetur, auctori-

ritate Apostolica confirmatam esse. Idem de annexis rerum Spiritualium dicendum, quia in horum omnium commercio fons uberrimus Simonie est, de quo copiosè Summerum Auctores. *Angel. Silo. Armilla. Tab. Inschus Conclus. II. Navar. c. 23. n. 100. Socol. 4. Q. 7 ar. 1. Tholosan. l. cit. c. 4. Less. c. 35. Dub. 2. Azor Tom. III. l. 12. c. 1. Decianus l. 5. c. 82. num. 1.* Limita, nisi annexum rei sacre, omninò temporale sit, quemadmodum in Sacris Valis est aurum, argentum, aut simile quid. *c. Aurum. 12. q. 2.* Huiusmodi enim, cum necessitas, vel charitas urget, vendere, & distrahere licet, ut communiter DD. tradunt, & à Sanctis viris non semel factum est.

VIII. Irrita etiam sunt pacta. 1. de beneficio ecclesiastico mediante pecunia resignando. *c. Cum pridem b. t. & Barb. ibid. 2.* de soluendo expensas, & fructus pro celsione juris. *Pat. l. 2. decis. 40. 3.* renunciatio cum pacto facta, ut resignatarius soluat resignanti expensas factas in illo beneficio consequendo. *Flamin. de resign. l. 14. q. 7. 4.* pactum de succedendo post mortem Prælati in ipsius ecclesia. *c. Accepimus. hoc tit. Covar. in c. Quamvis pactum eod. 5.* Pactum non succedendi seu renunciatio legitime, *l. pactum dotale. C. de Collat. Nisi firmetur iuramento. Sauch. l. 4. Conf. c. 1. D. 34. 6.* Ecclesiam acquirens per pactum augendæ pensionis, illa privandus est. *c. Cum clerici. hoc tit. Az. II. l. 8. c. 12. q. 12. 7* irrita conventio est, quando ecclesie locant domos, vel prædia vel infeudant cum præiudicio ecclesie. V. g. ut solvant decimas, vel apud eas Sepulturam eligant,

gant. c. Plerique hoc. tt. Panor. & alii. Ad. de. qui talis pacti occasione quicquam acquisiverunt, ecclesie restituere debent. *Silv. V. Simonia num. 191. & 20. 8.* Irrita sunt pacta, quæ con. leges, Constitutiones, vel bonos mores fiunt. *l. Pacta C. eod. l. Non dubium C. de legib. l. Contra ff. de pactis.* Nemo n. ad peccatum obligari potest. *Less. c. 18. D. 7.* Unde sequitur 1. concidere omnia pacta de futura successione inita. *l. pactum, quod dotali C. de p. Et. l. Cùm donationis de transact. ead. Ex* cipe pacta particularia, de quibusdam rebus post mortem relinquendis. Item Principum de mutuâ successione in casu deficientium liberorum. Denique militum pacta de successione mutua. *V. Gaill. l. 2. obs. 126. & 127. Sanch. l. 4. Mor. Consil. c. 1. D. 34. Tusch. concl. 13. & 14. 2. dolo, vi, aut metu extorta. l. Iuris gent. ff. dolo malo. §. Generaliter de pact. 3. illa quibus ius tertii læditur. l. 3. de transact. l. Pacta. quæ C. eod. 4. quæ turpē causam continent. Cuncta denique quibus ius resistit, iuxta *Reg. 64. de Re. lu. in 6.* Quæ contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi. Idem dicendū de iuramento, quod con. bonos mores factum nullius est momenti intellige con. bonos mores, quos vel Naturale, vel divinum, vel Cano. ius proscribit. *V. senbec l. 2. ff. de i. 14. num. 9. Az Tom. 1. l. 11. c. 6. Q. 4. ci. si. Silv. V. Iuramentum §. 4. num. 1.**

IX. Pacta statutis prævalent, intellige legitima. *c. Venientes de iure iu. §. Quia verò non minus.* Quin etiam Apostolicis institutis, & decretis derogant, maximè, quæ sequuntur privilegium *c. Cùm olim de prescript.* Antecedentia quoque tunc, cùm illorum in indulto non sit mentio. *c. Ex*

multipli de Decim. Clem. Dudum de Se. pult. Ratio dari potest, quia sic paciscentes cedunt iure suo, quod ex statutis, privilegiis, aliisve causis adipisci possent, modò nulla prohibitio obstat. Nam publicis iuris alia ratio est, cui pactis privatorum non derogatur. l. Ius publicum de act. em. & vend. l. Iuris gent. ff. de pactis. Caramuel Theol. fundam. n. 856.

X. Pactum & conventio duorum subditorum aliàs irrita, & dependens ab imperio Superiorum, ratihabitione illorum consolidatur. *c. Quoties 2. hoc tit. Quoties, ait Greg. Papa in conventionibus noster expectatur assensus, ne in dubium veniant, quæ geruntur, ratihabitione eas debet pro securitate partium solidare. Unde colligunt Interpretes, ratihabitionem retrahere ad diem initæ conventionis seu pacti, ac mandato comparari. V. Decium in Reg. Semper quis ff. de R. I. Excipe, nisi agatur de præiudicio tertii, vel quando actus, ad quem retrahere debet, ab initio nullus fuit. Barb. in cit. c. Quoties. Silv. V. Consensus. num. 6. ubi ex Innoc. limitationem adiungit. Nisi Papa, qui non est subiectus legibus, velit supplere defectum. Permittitur enim illi, sententiam, quæ nulla ab initio fuit, ita ratificare, ut valeat, non secus atque si nulla unquam illi solemnitas defuisset. Odrad. Consil. 257. Guido Papa Consil. 134. Tuschus in V. Confirmatio. Conclus. 710. Idem de sæculari Principe supremo dicendum, ut pluribus declarat Tusch. loc. cit.*

XI. Licet iure communi Cæsareo dominium rei solo & nudo pacto non transferatur. *l. Traditionibus C. de pactis & l. 15. de rei vendic. eod. l. 31. ff. de acqu. rer. domin. V. senb.*

*Vvesenbec. ff. l. 18. tit. 1. in rebus Ecclesie tam
 athen acquirendis neglecta traditione so-
 la & nuda promissio sufficit. Lut inter C.
 de sacros. Eccles. Bartol. ibidem. Præterea si
 contingat, rem aliquam vendi Ecclesie,
 & postmodum alteri alicui tradi, non ha-
 bebatur hujus traditionis ratio, sed
 Ecclesie simpliciter adjudicabitur. Idem
 dices de quibuslibet donationibus ac piis
 legatis. In his enim sola acceptatio ad do-
 minium acquirendum sufficit. Felinus in
 c. Ecclesia S. Maria de Constit. Azor. III. l. 11.
 c. 6. Lesius c. 3. D. 3. c. 18. D. 6. n. 36 item c.
 21. Dub. 20 num. 141. Molin tract. 2. Disp. 3.
 Eadem ratio de beneficiis Ecclesiasticis
 est, quorum collatio ante omnem accep-
 tationem jus tribuit etiam absenti, quod
 postmodum per acceptationem perfici-
 tur. c. si tibi absenti de prob. in 6. Unde fit,
 ut Episcopus re integrâ, antequam ac-
 ceptetur beneficium, alteri conferre
 non possit, sed expectare debeat, donec
 constet acceptare nolle, illum cui facta
 collatio est. V. Covarr. l. 3. Variar. c. 16. Sanc.
 de Matrim. l. 1. D. 7. nu. 20 & l. 3. D. 36. Val-
 lens. de benef. l. 1. c. 6. Barb. in cap. 17. Si tibi
 absenti. de ben. in 6. San. bez. l. 2. Confl. c. 2.
 D. 3. & in c. quodam de Cler. agrot. in 6. Gon-
 zalez ad Reg. & Cancel. Gloss. 15. Amplia 1.
 ut idem privilegium conveniat, aliis piis
 locis, & civitatibus, quibus rerum dona-
 tarum, vel emptarum dominium ante
 traditionem acquiritur. 2. Si alicui dona-
 tio facta sit sub modò, seu conditione, ut
 donatori alimenta præstentur, conditio-
 nem verò non impleat donatarius, rei
 donatæ dominium absque traditione re-
 dit ad donantem. 3. dominium rei legatæ
 tempore mortis testatoris fictione juris
 in legatarium transit, ita ut fructus ex eo*

tempore eidem debeantur; præsertim, si
 ad pias causas ordinata sit. l. si tibi homo ff.
 de legat. 1. l. à Titio ff. de fart. Gloss. ibi Fern.
 Vasq. l. 2. Controv. illustr. c. 55. n. 27. Fachina
 l. 1. c. 94. § sexto.

§. II.

De Pactis in specie.

I. **P**ACTUM specificè sumptum, quate-
 nus à transactione, & contractibus
 strictè acceptis tam nominatis, quàm in-
 nominatis distinguitur, est *Conventio, quæ
 super re certâ, & gratuito, id est, animo do-
 nandi fit. Connanus l. 5. c. 8. num. 1* Quamvis
 enim non repugnet non gratuito, sed ob
 causam fieri, hoc tamen quasi accidenta-
 rium censetur, quia per se, & ex naturâ
 suâ gratuitum est: idque potissimè atten-
 di debet. Azor. l. 2. Summa Rubr. 3. Vvesen-
 bec. l. 2. tit. 14. num. 3. **E** contra transactio
 semper fit ob causam, & de re incertâ
 juxta Versic.

Incertâ de re transactio dicitur esse,

Sed sunt certæ pacta favore rei.

*V. Bald. & Decium in Rubr. de pact. Ostiens.
 in Summ. eod. tit.*

II. Divisiones §. præc. allatæ ferè om-
 nes pactis in specie sumptis conveniunt,
 cum non essentielles, sed accidentales sint.
 1. igitur alia sunt expressa, alia tacita. l. 2.
ff. hoc tit. 2 alia sunt realia, alia personalia,
 prout circa rem, vel personam versantur
l. iurisg. 7. pactorum hoc tit. In dubio pacta
 omnia realia censentur. *Iason. num. 1. &
 DD in l. cit. iurisg.* Personalia bifariam ac-
 cipiuntur 1. personale dicitur quod non
 transit in aliam personam. *l. si unus 27. hoc
 tit. 2.* quod quidem non transit ad hære-
 des,

des, sed tamen vivente eo, qui pepigit, in alium transire potest. *l. si tibi 18. hoc tit.* 3. alia sunt judicialia, alia extrajudicialia. Hæc actionem non pariunt, sed illa, quia in judiciis quasi contrahitur. *Bald. in l. Tali pactum. 41. §. qui provocavit.* Alias divisiones suppeditat *Azor. loc. cit.* 4. denique quædam obligant, ab una saltem parte. Quædam obligationem tollunt, ideoque liberatoria vocantur, cujusmodi est acceptatio. Differunt, quod obligatoria non fiunt, nisi alterâ parte acceptante: liberatoria autem valent, non tantum præsentis facta, quamvis non acceptet, sed etiam absentis dummodò nomine ipsius alius acceptet, quia in ejusmodi commodis etiam tacens, & absens consentire censetur. *Iason & DD. in l. 7. sup. citata. Decius consil. 45. Cagnolus in Rubr. de pactis. Lugo Diss. 22. Sect. 3. num. 28. & 29. Vvesenbecius l. 2. ff. tt. 14. num. 4. Iul. Clarus §. Donatio. quest. 14. Tiraquel. de nobilitate c. 6. Barb. in Reg. Juris. qui tacet. & de Reg. Jur. in 6. num. 14. Corr. ff. de Iure civil. part. 3. c. 8. Layman l. 3. tract. 3. c. 3. n. 1.*

III. Ex dictis colligi potest, quænam causæ ad constituendum pactum concurrant. Efficiens enim remota est lex gentium, aut civilis, aut prætoria *l. 5. 6. 7. hoc tit.* quæ ejusmodi contractum approbans validum, & efficacem reddit. Proxima v. consensus partium. *l. 1. §. pæn. h. tit.* Materialis res circa quas versatur conventio, Formalis animi motus, & consensus. Finalis denique iusta conventionis causa, puta, respectus compensationis, donationis, aut similis. *l. si convenerit 56. hoc tit.* Ubi notandum in pactis obligatoriis nunquam præsumi causam donationis, nisi exprimat. *l. 2. §. circa ff. de*

de doli mali. exc. adeoque nullâ expressâ causâ pactum nullius momenti est. In pactis verò liberatoriis, licet nulla causâ exprimat, conventio valet: præsumitur enim pro subjectâ materia, & sine conventionis causam donationi subesse. *l. 1. de transactionibus Cagnolus loc. cit.*

IV. De materia pactorum ulterius nosse oportet, eam latissimè patere. Omnes siquidem res, quæ in commercio serviunt, complectitur. *l. si in emptione 34. §. Omnium de contrah. empr.* sive præsentis sint, sive absentes, sive etiam futuræ, dummodò non alienæ, sed propriæ sint *l. pactum 46. hoc tit.* neque juris publici, *l. iura sanguinis de Re. Jur. Vvesenbec. l. 2. ff. tt. 14. num. 6.* Usus præterea habet, ut pacifcentibus, vel transigentibus de eadē, aliove crimine publico à civili, & publica actione excludantur, non sublata per hoc tamen Magistratus auctoritate, qui vindicare possit. *Barto. in l. 1. §. usque adeo de injuriis.* De injuriis autem, & furtis etiam Jure civili pacisci licet. *l. si unus §. illud hoc tit.* quia crimina hæc non publica, sed privata sunt: ac proinde de illis inita pactio ipso jure actionem tollit. *Tholosan. l. 21. c. 4. Hartman. l. 2. tt. 49. obs. 5.*

V. Finalis causa, ut *num. 3.* indicatum, generatim loquendo est, ut doneatur, aut remittatur aliquid. Nisi enim in conventionem aliquid remittatur, nihil actum ut pactum jure civili est: quandoquidem non prodest pactio, nisi ad excipiendum. Exceptio autem competere non potest nisi illi, cui aliquid remissum est, & cum quo agi potest. Exceptio enim actionis exclusio est. *l. 2. ff. de excep. Quod si pacifcendo non remittere, sed novum*

ius constituere velis, nihil commodi habetis, cum de eo iure non possis actionem instituire, quia id pactorum natura non patitur, ut supra diximus. Porro si ob causam fiat donatio, aut remissio (quod licere ex num. 1. constat) non idem desinit esse liberalis, sed quasi à latere & per indirectum impellitur animus ad donandum ex tali causa, qui nihilominus solam ob liberalitatem facturus erat. Quemadmodum pluribus exponit *Vvesenbec. l. 2. ff. de. 14. num. 8.*

VI. Jam quod effectus attinet, obligationem naturalem ex nudo pacto oriri §. 1. num. 4. & 5. diximus, quod etiam Juris civilis auctoritate corroborat. *Vvesenbec. loc. cit. num. 9. lege 1. l. Iurigent. 7. §. 1. hoc tit. l. legem 10. l. in bona fidei 13. C. eod.* Quod verò ibidem diximus, actionem non dari sed exceptionem, Prætor olim supplevit edito suo, *Pacta conventa & servabo*, id est, tuebor, ut fides præstetur: hodie autem Jure Canonico suppletur, secundum quod ex quolibet pacto oritur actio c. 1. & 2. de pactis. Idem in foro seculari obtinet, ubi ex æquo, & bono, vel ex suprema potestate judicatur, uti solent Curie Summorum principum, Arbitratorum, mercatorum, ac similibus *Maranta part. 4. distinct. 9. num. 49.* Imò generaliter usu receptum videtur, ut in reliquis Curis quoque indistinctè ex pactis nudis serio, & deliberatè initis civilis actio detur. *Bald. & Salicet. in l. potens C. de pactis. & Iason. dicit esse communem in l. legitima 6. hoc tit.* Quod valdè consentaneum æquitati est. Cum enim ejusmodi pacta legitimè inita naturaliter, & in conscientia obligent, ratio exigat, ut serventur, & compellantur, qui

iniquè resistunt. Quem in finem boni Judices etiam in civili foro Canonum præcepta sequuntur. c. 1. & 2. & DD. de no. op. nunciat. Quænam verò actio danda sit, *Vvesenbec. explicat loc. cit.* Conditionem ex lege, vel potius Canone malior, qualis dari solet ex omnibus contractibus, qui nova aliqua lege, vel Canone vim consequuntur. *Abb. in c. qualiter. de pactis. Tuschus Concl. 18.*

VII. Quoniam pacta stricti juris sunt, ejusdem generis intellectum, & interpretationem exigunt, rejiciendo, quicquid non difertè verbis comprehensum, & expressum sit, secundum naturam, & conditionem omnium stricti juris contractuum. Excipe pacta, quæ bonæ fidei contractibus adhærent. Horum enim causæ interpretationem ex bono, & æquo admittunt. *l. Iurigent. 7. §. aded l. ab emptione 59. h. t. Melon. l. cit. num. 35.* Quamobrem nec ad alias res, nec alias personas nisi nominatim comprehensas extendi debent. *l. si unus 27. §. pacta hoc rit* Illis enim qui non pepigerunt, neque nocent, neque prosunt. *l. si actionem C. eod.* intellige, nisi ex dispositione juris, aut verosimili partium conventionione ad aliquem, qui pactus non est, extendantur. Sic interpretamur pactum procuratoris ad dominum, tutoris ad pupillum, magistratus ad civitatem, præfecti ad Collegium pertinere. *l. item 14. hoc tit. l. præses C. de transact. Tuschus Concl. 10.* ampliandum monens, ut neque ad hæredem, quod personale est, transeat, neque ad fidejussorem, quod cum debitorum principali initum est.

§. III.

De Transactionibus.

I. **T**Ransigere, & Transactio sumi bifariam potest, generaliter, & specialiter. Generaliter quamlibet conventionem denotat. *l. 1. §. 1. ff. de pactis.* Conventionis verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa conteniunt. Specialiter accipimus, quando non de qualibet, sed certa, eaque litigiosa re convenitur. *l. 1. ff. de transact. l. Transactio C. eo.* Sic accepta definitur, *Pactio gratuita de re dubia & lite ancipiti necdum ad finem deducta.* Aliqui addunt, nullam pariens iure civili actionem, sed tantummodò exceptionem, *Sed VVesembecio l. 2. ff. tit. 15.* hæc definitio placet. *Transactio est contractus, vel potius distractus iuris gentium, in nominatus, & stricti iuris, quo inter litigatores res dubia, aliquo contra dato, aut promisso remittitur, & finitur, nullam pariens iure civili actionem sed tantum ad exceptionem proficiens.* Ad transactionem igitur necessariò & essentialiter tria pertinent. 1. res dubia. 2. Lis, neque enim aliunde orta controversia sufficit 3. alicujus rei pro remissione litis præstatio. Species communiter duæ ponuntur. Simplex, & quæ stipulatione Aquiliana munitur. *DD. in l. si causa 32. C. eo.* Potest etiam dividi in generalem & specialem. Item in juratam, & non juratam. *l. si quis maior. 41. & l. pon. C. eod. Tholos. l. 28. c. 2. Mynsing. Decade 6. Responsio 60. Item 7. Resp. 64.*

II. Materia transactionis sunt res dubia & litigiosa, hoc est, de quibus actu

lis est, vel esse potest. *l. 2. ubi DD.* Unde de re judicata, quia lis esse non potest, ne sine fine litigemus, nemo transigit, quavis pacto remitti possit. Sed neque de controversiis, quæ ex testamento oriuntur, transigimus, tum quia censentur captiosæ, adeoque improbæ. *l. 5. hoc tit.* tum quia ultimis voluntatibus adversantur, earumque intentionem & exitum pervertunt. Idem dicendum de alimentis futuris, ut transactio de illis sine auctoritate Prætoris irrita sit; de præteritis tamen licet transigere. *l. 8. C. de alim.* Neque enim amplius alimenta sunt, postquam vita aliunde sustentata est, sed parum & simplex debitum, de quo nihil causæ est, cur non transigatur. *Menoch. l. 2. Casu 169. & sequ. Cardin. Tusch. V. Transactio Conclu. 346. & sequ. Angelus V. Transactio num. 1. Silvest. eod. Decius consil. 474. Tuschus conclus. 345. & sequ.*

III. Transigere licet de crimine publico, quod pœnam capitis meretur, excepto adulterio, quia licet cuique sanguinem. *l. 3. C. ad S. C. Turpil.* suum quovis modo redimere. At transigere de crimine publico non capitali leges vetant. *l. 1. C. de transactionibus Azor. l. 2. Rubr. 4. n. 11. VVesembec. l. 2. ff. tit. 15. n. 5. Franc. Marcus qu. 662.* Nam in hujusmodi delictis si actor transigere velit, suspicionem falsi incurrit, quamvis fieri possit, ut rationabilem cautam habeat desistendi, fortè quia videt probationes sibi deesse. Est & alia causa, ne concessa transigendi licentia, proniores ad delinquendum fiant mali. Nihilominus infamiae notam incurrit, qui de actione injuriarum data pecunia transigit. *l. non damnatos ff. ex quib. caus. infamia irrog. Melonius in Thesau. iur. feud. tit. 16. n.*

70. num. 34. Porro adulterii crimen excipitur ex triplici potissimum causa. *Prima* est frequentia ipsius & enormitas. *Secunda* matrimonii favor, ne fiat sanguinis turbatio, & sordida stirpis viri splendidis natalibus surrogentur. *Tertia* ne maritis occasio detur inuocinii. *Iul. Clarus l. 1. § fin. q. 58. Vvesenbec l. cit. Tholos. l. 28. c. 2. num. 10. Connantus l. 5. c. 7. num. 3. l. 6. ob. serv. c. 11. Fabina l. 1. c. 8.* Nihilominus inter maritum, & uxorem adulteram transigi potest, ut hanc ille non accuset ad poenam capitalem infligendam: (id enim etiam suo adulterio non obstante, facere permittitur, quamvis quoad divortium, & poenam civilem adulteria compensentur) illaque in locum honestum se recipiat, ubi à viri consortio separata reliquum vitæ traducat. Abique ipsius consensu tamen fieri non potest, neque in pactum deducere licet, quando jus accusandi criminaliter amisit lapsu temporis, vel alia quapiam ex causa, vel quia probatio deficit. Hæc enim poena non debetur ante sententiam iudicis, nec maritus uxorem accusare deficiente probatione potest: nec ipsa coram iudice fateri delictum suum non probatum judicialiter obligata est, secundum ea, quæ dicemus in parte 3. *Summa tr. 6. §. 1.* Jam quia transactio hæc non importat lucrum marito accusanti, nec aliquam ex prædictis causis subvertit, non adversatur legi 18. *transigere. C. de transactionibus.* Nihil aliud enim intendit, quam vitare incommoda illa, quæ adulterorum transactio parere solet, quando minus pura & sincera intentio est. *Sanchez l. 10 de Matrimon. Disp. 6. num. 10. Cardin.*

Tuschus V. transactio Conclus. 347. ubi docet negata transactione nihilominus pacem constitui posse, per quam rancor animi remittatur, etiam poena ex parte minuatur adultero: siquidem de omni maleficio pax admitti potest. *Barrol. l. 1. Consil. 175. Verb. Quidam est per textum in Auth. sed bodie C. de adult.* ubi dicitur maritum reconciliari posse adulteræ, & sic pacem facere. Denique addit, limitandum, ne detur transactio super accusatione attentati criminis Sodomix. *Bald. Consil. 27 V. Punctus super quo, & Consil. 30. propositus verbis statuti l. 4.*

IV. Omnis transactio, in qua pro aliquo temporali jus spirituale remittitur, vel retinetur, illicita est. *c. super eo de transact. c. cum pridem de pactis c. ult. de rer. permur.* In transactione enim fit permutatio quædam, quæ sub venditione comprehenditur, in eaque pretium interuenit. Unde sequitur in transactione, qua pro temporali aliquo Jus spirituale remittitur, emi rem spiritualem, quod Simonis proprium est. Ex quo deducitur ulterius. 1. Cum de Jurisdictione spirituali lis est, non licere dando pecuniam transigere. 2. Cum de beneficio Ecclesiastico agitur, peccare, qui vel componunt litem, offerendo pecuniam alteri ut desistat, vel ab eodem recipiendo pecuniam, & relinquendo ipsi beneficium. 3. Idem dicendum de jure patronatus, de rebus & vasis sacris, reliquiis, & similibus. *Innoc. Imola. Parorm. Alagona. silv. V. transactio Suarez l. 1. de Religion. l. 4. de simonia c. 51. Regin. l. 23. c. 11. D. 11. Bonac. de Simon. q. 4. §. 15. V. sup. §. 1. num. 2.*

V. Similiter in materia beneficiorum

Bbb

Eccle-

Ecclesiasticorum illicita transactio est, licet spirituale pro spirituali offeratur, si propria agentium auctoritate fiat. *Innoc. Panorm. & alii in c. Constitutus & c. super eo hoc tit.* Rationem ex natura rei non peto. Nam pro spirituali re spiritua-lem dare servata æqualitate non videtur per se malum, & in beneficiis semper ad-est corporale quippiam, ratione cuius possit fieri commensuratio. Jure positivo igitur prohibitum est, propter periculum, quod in ejusmodi commutationibus latet, ne loco justitiæ aliquando Simonia subintret. *c. questum. c. olim de rerum permut. V. Lessius c. 35. D. 4. & 17. Layman. l. 4. tract. 10. c. ult.*

DIXI Si propria litigantium auctoritate fiat: quia si Prælati consentiant, fieri posse liquet, ex iis, quæ *c. 2. de transact. Barbosa* differit. Sed dubium remanet, an non cum consensu partium delecti arbitri (ex Clericis) facere possint transactionem de beneficio, imponendo onus aliquod temporale propter bonum pacis? Dico posse. *c. Nisi 22. de præbend. modò pecunia non imponatur danda illi, cui beneficium abjudicatur.* Nam si beneficium detur ei, cujus causa videtur melior, justitiæ consulitur: & si pecunia absit, nullum Simonix periculum est: simul bonum pacis procuratur, aliquid imponendo, quod adversario suo beneficiarius prætet. *Suarez l. de Relig. l. 4. de Simonia c. 51. Tholosan. l. 28. c. 1. num. 16. Tuschus Conclus. 348. Vallens. l. 1. et. 36. §. 3. & l. 3. de benefic. c. 25. Sylv. V. transactio.*

VI. Nec de subjectione spirituali alicui Ecclesiæ debita, nec de annexo rei spiritualis permittitur transactio. *c. præerea 10. de transact. ubi damnantur reli-*

gioli quidam, volentes cessam aliquam à subjectione matricis Ecclesiæ subtrahere propter transactionem olim factam. De annexo rei spiritualis testatur. *c. quanto de judic. causam Jurispatronatus ita conjunctam, & annexam esse spiritualibus causis, ut non nisi Ecclesiastico judicio valeat definiri. Anchar. Panorm. Ostiensis. Ximen in Concord. part. 1. Anton August. collect. 2. Decretal. l. 1. et. 16. Sylv. V. transactio.*

VII. Transactio de decimis, ut tali modo, etiam in minori quantitate detur, si cum facultate, & consensu Ordinarii fiat, licida & valida est. *c. statutus hoc tit.* Si inter Parochos compositio fiat, absque Ordinarii consensu pro vita illorum tantum valebit, nec inde præjudicium successori faciendum. Ut verò Laicis decimæ concedantur, non convenit, nisi forte ad breve tempus, & gravi causa. *Tuschus Conclus. 348. Zabar. Bellam. Ioan. Andr. Vivian. Alagena Barbos. m. c. cit. V. supra Tit. 2. §. 2. n. 4.*

VIII. Judex interponere partes suas potest ad transigendum in casibus jure permissis, & semper inclinare in meliorem partem debet, prout causarum, personarum, & temporis circumstantia exigat. *c. ex parte hoc tit.* Nam quandoque in aliquo particulari casu lex scripta nihil disponit, ad æquitatem recurrimus, & nature sensum perquerimus. Ratio enim sola ad decidendum sufficiens est, etiam sublata lege. *scire oportet. l. sufficit ff. de execut. tutor. c. requirit 2. de appellat. Tiraquel. in c. Cessante causa. Limit. 1. G. mbar. de off. legati l. 10. Menoch. conf. 202. Sousa de largit. munerum Fundam. 2. num. 18. Coriolan. Casu. §. 8. num. 11.*

Ubi

Vbi notandum occurrit; partium trans-
actione quomodo cunque perfecta & fir-
mata non tolli potestatem Magistratui,
ne cognoscere, inquirere ac punire cri-
men possit, de quo transactum est: nec
impediuntur alii, quò minus de eo insti-
tuere accusationem queant. Cum enim
publicè interfit crimina puniri, tale ius
publicum pactis privatorum non tolli-
tur. *l. ius publicum. ff. de pact. l. iuris-
gent. § si paciscar. eod. tit. l. ita vulnera-
tus. ff. ad l. Aquil. l. in delict. ff. de nox.
action.* Super eodem tamen processu non
licet procedere, sed novus inchoandus
est, ut plerique DD. tradunt. *Decianus
l. 3. c. 34. num. 35. Tholos. l. 28. c. 2.
num. 9.*

IX. Postquam peracta legitime tran-
sactio est, scripta, diplomata, privile-
gia & documenta, quæcunque in causa
illa favere, aut prodesse possunt, irrita
in futurum censentur, & standum soli
transactioni est. Si quid verò ex requisi-
tis solennitatibus omissum fuerit, Papæ
auctoritas supplebit. *c. sicut grave. hoc
tit. S. Gr. l. 7. ep. 27.* Generaliter enim
defectum iuris, & legum supremi Prin-
cipis auctoritas tollit, & redintegrat.
*Bald. super Rubr. c. 1. de transact. Iason in
l. Fratris C. de transact. Schurff. Consil.
32. num. 4. Melonius in Thesaur. iur. feud.
tit. 16. num. 6. Berlich. Decis. 40. bb. n.
noc Imola. Panorm. Vivianus. Mascard.
de probationib. Concl. 1315. num. 26.
Barb. in c. cit. sicut grave. Gaill. l. 2. obs.
70*

X. Transactio perfecta instar Contra-
ctuum innominatorum pœnitentiam
non admittit, sed observanda firmiter

est. *l. Fratris. l. Etiam te. l. quæ res. C. de
transact.* Quod *Mynsingerus Decade 6. Re-
spons. 60.* intelligendum monet de tran-
sactionibus quæ simpliciter initiæ perfici-
untur non verò, si in Scripturam redi-
genda sunt. Tunc enim raris per locus
pœnitentiæ relinquitur, donec Scriptura
expediatur. Quin etiam nullius planè ro-
boris, & momenti censentur, quamdiu
Scriptura desideratur. Obtena autem
Scripturâ via retractandi præclusa est,
non secus, atque in sententia lata usu ve-
nit. Transactio n. & sententia æquipa-
rantur. *l. 2. ff. de iure iur. l. post rem ff. de
re iudic. l. Non minorem. C. de transact.
Gaill. l. 2. obs. 70. & 71. Mynsing. Decade
6. Responso 60. Tholosan. l. 28. c. 3. nu. 2.
& 3. Vallens. l. 1. tit. 36. §. 4. Decius in l.
Fratris tui. C. de transact.*

XI. Dubium est, possitne rescindi
transactio probata læsione ultra dimi-
dium? Afirmat Bartol. nixus aucto-
ritate legis. *2. C. de rescind. vend.* quam
locum habere non tantum in contractu
empt. & vendit. sed aliis quoque tam
bonæ fidei, quam stricti iuris contra-
ctibus plerique DD. censent. Mentem
Bartoli *Angel. Aretinus in l. si quis cum
aliter. ff. de verb. oblig.* ita explicat, ut
velit, rescindi posse transactionem, si
probetur læsio ultra dimidium pretii, in-
specto, quantum valeret, vel potuisset
vendi ius transigentis in illo dubio litis e-
ventu. Pro illa opinione igitur facit
fortissimè, ut *Gaill. loquitur l. si super-
stite. C. de dolo malo.* ubi cuidam Am-
phidrosæ Imperat. Deocletianus & Ma-
ximianus rescripsit. Si læsa es immodi-
cè, in factum actio tibi tribuenda est.

Gotofr. annotat, transactionem rescindi posse ob immodicam læsionem, qualis sine dubio est major dimidia. Assentitur *Ludou. Romanus Imola, Decius, Socinus senior*, addens videri communem opinionem, & quæ fraudibus obviat, amplectendam. Nihilominus, ne quidem propter dimidiam bonorum jacturam rescindi transactionem posse *Baldus* defendit, opinionem *Bartoli* vocans trufam, & erroneam. Fundamentum ipsius est in *l. 1. C. de plus petitionibus*. ubi transactio servanda dicitur, etiamsi dolose plus debito petitem sit: imò quadruplum læso adversus transactionem restitutio negatur in *l. Lucius ff. ad Trebellianum*. Ut mirum non sit, plurimos DD. *Baldo* subscribere multis excogitatis rationibus, quarum 1. Transactio instituta, & permissa est ad finiendas lites, ne in immensum protendantur. *l. fratris C. de transactionibus*. quas neque imperiali rescripto, neque prætextu instrumentorum recens inventorum resuscitare oportet. *l. causam & l. sub prætextu instrumenti C. eod.* Hinc peracta transactione scripta, & instrumenta pro irritis habentur, ut num. 9. diximus. 2. Sententia propter immodicam læsionem non retractatur. *l. sub specie C. de re iudic.* ergò nec transactio, quæ quo ad firmitatem huic sententiæ æquiparatur. 3. In actu liberatorio, cujusmodi est transactio, remedium *l. 2. C. de rescin. empt. locum non habet loco citat.* sub specie novorum instrumentorum. 4. Juramentum ratione læsionis non revocatur. *l. Non erit §. dato. ff. de iure iur.* Huic autem transactio æquiparatur *l. 2. ff. de iure iur.* 5. Hoc ipso, quod lis terminatur, magnum transigenti commodum accedit, &

pæn. de empr. & vend. in V. restituerunt *Gloss. in di. l. Lucius §. fin.* Hinc indebitum per transactionem solutum repeti nequit *l. 2. C. de transact.* Propter has, & similes rationes etiam à Camera Spirensi sæpius pro hac opinione iudicatum esse *Gail. affirmat l. 2. Obs. 70. num. 11.* Verùm quicquid sit de foro externo ac civili, quod temporale bonum non rarò ponit ante salutem, non dubito, quin iure naturali, à quo non recedet in hac materia Canonicum, transactio cum immodica læsione facta rescindi possit, ac debeat. Nam qui ita transegit inculpabiliter deceptus est per ignorantiam & errorem invincibilem: adeoque præsumi non potest, donare voluisse excessum illum, qui nullo iure debetur adversæ parti. Ita sentiunt ex DD. illi, qui à *Gail.* citati per distinctionem respondent, in modum læsionem firmam manere transactionem: in enormi verò rescindendam esse, modò de illa læsione evidens notitia sit. *Cardin. Tusch. Conclus. 383. Corn. consil. 27. l. 4. Decius consil. 203. Maranta part. 6. tit. appellatio num. 80. Molinaus in Apostil. ad Alexandr. consil. 24. num. 11. Corn. Consil. 166. & 189. Faber. de errorib. pragmat. Decade 8. Errore 10. Decius Consil. 85. l. 1. Burg. in c. cum causa de empr. & vendit. Rebuff. de resciss. contract. art. un. Glossem. 15. Fachinus l. 2. contrav. iuris c. 26.*

XII. Sempronius uxorem suam impie trucidavit, eoque scelere perpetrato transactionem, seu pacem cum filiis utrisque communibus iniiit, nunquid illi proderit? *Boss. in ut. de pace num. 21.* ejusmodi casum suo tempore accidisse narrat. Magistratum verò in approbando tali pacto, & pace difficilem se præbuisse. *Addit*

Addit. Iul. Clarus comperisse se, quod *Senatus* (*Mediolanensis*) expresse reiecit gratiam, quam obtinuerat quidem *Georgius Barata* uxoricida à filiis communibus eorumque tutoribus specialibus, volueritque simul fratres, & agnatos occisæ uxoris in prædictam pacem consentire. E contrario approbatam fuisse gratiam cuiusdam *Dominae de Cabianis*, quæ maritum in rixâ occiderat habitâ remissione tantummodò à filiis: fortè quia non militat ratio metus reverentialis in Matre, prout in Patre. Ex quibus colligere licet per se & absolute eiusmodi transactiones non esse certas, & firmas, sed ab arbitrio Magistratus pendere. Fieri potest, ut expediat, acceptare, & approbare; quod ex circumstantiis sumendum erit. Fieri è converso potest, ut minimè expediat bono communi tam horrenda scelera impunita relinquere, & in similia animare improbos. Modum dabit prudentia, & æquitas.

XIII. Procurator ab offenso constitutus, quamvis mandatum habeat *cum libera*, & generali administratione, cum eo, qui offendit, non potest transigere aut pacem constituere. *Speculator in Rubr. de treuga & pace num. 4.* & servati in praxi testatur *Nellus in Tr. de bannitis Par. 3. Q. 37.* Pro ratione allegari potest, quòd in mandato *cum libera* non comprehenduntur ea, quæ verosimile est, non concessurum fuisse constituentem, si prævidisset. Remissio autem debiti liquidi donationi æquiparatur. Non dubito tamen, quin particulari aliquo in casu aliter fieri queat, puta, si consideratis facti, & personæ circumstantiis procurator de domini sui voluntate prudenter audeat præsumere, non fore ingratum illi, si in commodum, ac favorem ipsius cum offensore transigat, aut pacem ineat. *V. Iul.*

Clarum §. fin. Q. 58.

n. 28.

TITULUS VII.

De variis Contractuum generibus.

Quæ minus propriè loquuntur, cum *Q*ualdo Contractuum tria genera faciunt. In primo propriè dictos, in secundo impropiè, in tertio impropiè dictos collocant. Propriè dicti utrimque obligationem pariunt: impropiè dicti in unâ parte tantum. Reliqui non tam obligationem quam deobligationem, seu liberationem continent, cuiusmodi est acceptulatio, seu imaginaria

solutio, quâ simulamus à debitore nobis satisfactum. *Instit. Quib. mo. toll. obl. & l. Vbi pactum. C. de transact.* Aliqui Distractus vocant. Nostro instituto conformiter de primis duobus generibus expressè so-agendum erit: de reliquis quasi per accidens, prout materiam necessitas, & connexio postularit:

Bbb 3

§. I. De